Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 567
Quelle:
Copyright:

Dubium inde fit, an *Claustroneob.* Annalista nostro, an vero noster illo usus sit. Ille quidem in A. MCCCXLVIII. fistit, noster progreditur, videoque A. MCCCLV. minio subscriptum: *Fr. Otto*, quod illi nomen fuerit. Hunc Annum continuo excipit MCCCXCVI. quem adscribo: *In octaua Johannis baptiste Monasterium Nouimontis per ignem in pistrino exortum totaliter est exustum, ventusque ualidus tegulas igne succensas cum impetu ad uillam circumiacentem deferebat, ubi in tantum ignis defeuit, quod totam uillam exceptis tribus mansionibus totaliter deuastauit et in cinerem redegit.* Subditur: *Frater Johannes Greczer* (Graecensis Styrus) *cenobita.* Ex quo concludo, Chronicon praesens in praedicto Monasterio scriptum et servatum fuisse. Huic et aliud subfragatur. Marginibus nostris Sec. XV. adspersae sunt quaedam Notae, et quidem ad A. MCCCXXVII. *Otho fundator* huius *monasterii*, et ad A. MCCCXLIX. *Circa festum sancti Martini declinavit pestis ad terminos Noui montis*, id quod in ipso etiam Chronico notatur. Jure igitur illud vocari possit *Novi Montis Chronicon* scriptore *Ottone Cisterciensi*, jungique, posteriore saltem sui parte, Chronicis jam editis mereretur. Commemorabo et alias Notulas. Ad A. MCCCIX. motumque *Viennensium* contra Ducem *Fridericum* inclemente exire parat in Ungariam habens tamen regalia &c.

ter adscriptum: *Viennenses semper rebelles.* Ad A. MCCCVI. ubi narrantur de sola Civitate *Viennensi* plusquam XL. Millia expediti in turma sua cum *Ottone* Duce contra Regem *Bohemiae* processisse, observatur: *Nescio, quot hodie mittere possit, dum hec legerem* 1521. Ad A. denique MCCCXLIX. legas: *Anno pestifero illo creuerunt optima Vina sicut anno* 1521.

III. *fol.* 74. *Incipit Catalogus apostolicorum.* Ductus a B. *Petro* ad *Gelasium* II. sive A. 1119. Usque ad *Felicem* IV. notantur etiam Consulatus, usque ad *Coelestinum* anni Imperatorum, deinceps anni Domini. Passim edicit Chronographus, ubi a Chronico *Eusebii*, *Hieronymi*, *et Prosperi*, et *Caesarii*, nempe *Heisterbacensis*, dissentiat. Pontificibus variis adduntur sua Instituta. *Johanna* Papissa nulla, sed *Johannes* XII. *Bonifacius* VII. *Benedictus* IX. et *Gregorius* VI. male audiunt. Sec. XIII. scriptum hunc Catalogum in Dioecesi *Salisburgensi* e sequentibus statues: *Adrianus — dedit pallium Arnoni. Pascasius — dedit pallium adelramo. Valentinus dedit pallium Luipramo*, quin ullius alterius aut Episcopi, aut Sedis mentio fiat.

IV. *fol.* 77. succedit alter Catalogus hanc Rubricam praeferens: *Isti regnauerunt in latio et Romana urbe ante consules et imperatores.* Initium ab *Italo*, *Jano*, *Satur-*